

vi solius actionis et passionis movetur, ac proinde motus est formaliter idem cum illis.

Resp. eadem distinctione. Non enim ideo præcise quia datur actio aliqua vel passio, movetur subjectum, sed quia talis actio ac passio circa ipsum exercetur; *talis*, inquam, quæ sit actus imperfectus et via ad terminum, qui nondum habetur in signo illius actionis ac passionis, sed habebitur, quando illa cessaverit (1).

ARTICULUS IV.

Undenam unitatem ac diversitatem sive specificam sive numericam accipiat motus^p

289. Antequam divisiones præcipuæ motus physici strictè sumpti declarentur, videndum est, undenam petenda sit unitas ac diversitas motuum.

§ I.—UNITAS AC DIVERSITAS GENERICÆ ET ESPECIFICÆ MOTUS.

Statu
questionis
aperitur.

Quamquam motus, utpote incompletum ens non pertineat ad prædicamentum nisi reductive, ideoque proprie nec genus nec speciem habeat; nihilominus in suo ordine entis incompleti utrumque habere quodammodo dicitur, et in hoc sensu inquirimus undenam repetat suam qualemcumque unitatem genericam vel specificam. «Quatuor autem sunt, a quibus excogitari potest eam accipere: nempe agens, et passum aut mobile, terminus *a quo*, et *ad quem*. A quibus certum est non sic eam accipere, ut hæc vel aliquid horum ei sint essentialia, cum constet extrinseca esse; sed solum potest per ordinem ad illa unitatem genericam vel specificam accipere ita, ut ordo ad unum vel alterum sit ei essentialis. Certum est autem, ut D. Thomas docuit (2), cui assentiunt

(1) Videri possunt de hac questione Suarez (*Metaph.*, disp. 49, sect. 2), Rubius (*Physic.*, lib. 3, trac. 1 de *Motu*, quæst. 7), Benedictus Pererius oper. cit. lib. 13, cap. 7 et 8), Conimbricenses (*Physic.*, lib. 3, cap. 3, quæst. 1), Rhodes (op. cit. lib. 2, disp. 6, quæst. 1, sect. 1, paragr. 2), De Benedictis (tom. 2, lib. 3, quæst. 1, cap. 2), Soarez Lusitanus (*Physic.*, tract. 3, disp. 1, sect. 1).

(2) S. Thom. de *Potent.*, quæst. 6, art. 8.

omnes, motum non sumere unitatem vel distinctionem genericam aut specificam ab agente aut passo seu mobili. Cujus ratio est, quia licet motus non sit entitas realis distincta ab actione et passione; attamen secundum formalem rationem motus abstrahit ab utraque, et solum dicit viam aut tendentiam inter duos terminos, *a quo* et *ad quem*, non significando quod ab agente egrediatur, vel recipiatur in passo. Ergo unitas generica aut specifica ejus non potest per ordinem ad agens vel passum sumi. Solum ergo restant terminus *a quo* et *ad quem*. Sed de termino *ad quem*, conveniunt omnes, opinantes quod per ordinem ad eum sumatur. Et ratio est manifesta, quia terminus *ad quem* est quasi finis motus; a fine autem speciem accipere mutationes et motus, sicut etiam actiones, evidens est. Sed an a *solo* termino *ad quem* accipiatur, et non a termino *a quo*, vel ab utroque simul, in hoc posita est difficultas quæstionis (1). Itaque existimaverunt nonnulli prisci Philosophi motum diversitatem suam mutuari ab utroque termino, ita ut ubi uterlibet varietur, motus quoque essentialiter discriminetur (2). At videtur aliter omnino sentiendum cum communissima sententia.

Contra
quorundam
opinionem

290. PROPOSITIO 1.^a Motus speciem non sumit ex termino a quo, sed solum ex termino ad quem.

Ita S. Thomas (3) cum Aristotele (4), Toletus (5), Conimbricenses (6), Complutenses (7), Rubius (8), Pereira (9), Dominicus Sotus (10), Joannes a S. Thoma (11), Matrius (12), alique.

statuitur cum
communissima
doctrina
motum speciem
sumere
a solo termino
ad quem.

(1) Rubius lib. 5.^a *Physicor.*, quæst. 1.

(2) Vide Albertum a Saxonia, Burlæum et alios apud Toletum Rubium et Complutenses.

(3) 1 p. quæst. 23, a. 1 ad 1.^{am} 5.^a; *Physic.* lect. 1 paragr. e.

(4) 5.^a *Physic.* cap. 1.

(5) In lib. 5.^{um} *Physic.* quæst. 2.

(6) In lib. 5.^{um} *Physic.* c. 4, q. 1.

(7) *Physic.* disp. 23, quæst. 1, num. 3.

(8) Lib. 5.^a *Physic.* cap. 4, quæst. 1.

(9) Op. cit. lib. 13, cap. 9, quæst. 8.

(10) In lib. 5.^a *Physicor.* quæst. 3.

(11) *Physic.* quæst. 10.

(12) *Physic.* disp. 15, quæst. 7, art. 1.

Probatur 1.^o Ab eo sumitur species ac essentia rei cujuspiam, a quo nomen ac definitionem res illa sortitur. Atqui motus nomen definitionemque suam sortitur a termino. Minor constat exemplis. Ideo enim corruptio dicitur mutatio in non esse, quamvis id quod corrumpitur, mutetur ex esse. E contrario generatio est mutatio in esse, quamvis incipiat a non esse. Nomen autem generationis ad esse pertinet, corruptionis vero ad non esse (1). Ideo nihil... refert, quantum ad rationem dealbationis, utrum ille, qui dealbatur, fuerit niger aut pallidus, vel rubeus (2). Ideo etiam in spiritualibus transmutatio, qua aliquis transmutatur a statu injustitiae ad statum justitiae per remissionem peccati, sortitur nomen a termino ad quem, et vocatur justificatio impii (3).

Prob. 2.^o Cum motus sit recessus a termino a quo, et accessus viaque ad terminum ad quem, implicat repugnantiam quamdam cum illo et convenientiam cum hoc. Sed nihil specificatur ex eo, cui repugnat, sed potius ex eo, cum quo habet convenientiam. Ergo... (4).

Adverte porro, cum dicimus motus specificari ex termino ad quem, hunc intelligendum esse non materialem, sed formalem. Nam unus idemque materialiter et entitative terminus potest esse formaliter multiplex, ac proinde ad eandem materialem entitatem termini ad quem terminari motus essentialiter diversi, pro diversitate nimirum formalitatum ac variarum rationum terminandi, quæ in ipsa continentur.— Et hæc generatim de omni motu.

291. PROPOSITIO 2.^a In motu locali variatio essentialis videtur etiam posse ex diversitate medii exoriri.

Nam sæpe motus localis ex sola interpositi medii variatione diversus existimatur in ipsa ratione motus, ut manifestum est in diversitate motus recti ac circularis, in ambulatione et volutatione, qua ad eundem locum perveniatur. Si id, in quo est motus, inquit Angelicus (5), est alterum

(1) S. Thomas. 5.^o Physic. lect. 1, paragr. e.

(2) S. Th. 1 p. quest. 23, a. 1, ad 3.^{um}.

(3) S. Thom. 1, 2, quest. 113, art. 1.

(4) Vide S. Thom. lib. 5.^o, Physicor., lect. 1, paragr. e.

(5) Physic., lect. 6, paragr. c.

non quidem
materialiter,
sed formaliter
considerato.

In motu
locali diversitas
essentialis
videtur posse
desumi etiam
ex diversitate
medii.

specie, et motus est alter specie; et sic ad hoc, quod motus sit idem specie, non solum requiritur identitas termini secundum speciem, sed etiam identitas ejus, per quod transit motus. Manifestum est autem, quod linea recta et circularis sunt diversæ secundum speciem: unde motus circularis et rectus, et volutatio et ambulatio non sunt idem secundum speciem, quamvis sit circa eosdem terminos, quia via non est eadem secundum speciem. Sed si sint idem termini et eadem via secundum speciem, sunt idem motus secundum speciem (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

292. Objic. 1.^o Motus, ut superius explicatum est, essentialiter postulat duos terminos. Ergo ex utroque specificationem suam derivat. Prob. conseq. Ideo enim motus juxta nos specificatur ex termino ad quem, quia illum essentialiter respicit. Atqui non minus essentialiter respicit terminum a quo. Ergo...

Resp. neg. conseq. Ad probationem disting. Major. Ideo solum, quia essentialiter respicit terminum ad quem, neg.: quia certo quodam modo respicit illum, ut nimirum assequendum, conc. Terminus enim a quo respicitur ut destruendus ac deserendus, terminus vero ad quem ut obtinendus. Et quoniam obtineri nequit, nisi destruat contrarium, propterea ipsa destructio termini a quo est propter assecutionem termini ad quem, eique servit; terminus autem acquirendus instar primariæ intentionis respicitur a motu. Et hinc est, quod dicitur naturam non intendere per se corruptionem, sed per accidens propter generationem novæ formæ, cui præcedens repugnat. Ideo dicendum est ad essentiam motus per accidens et materialiter se habere, ut ex hoc vel alio termino discedatur. Non enim ex omnibus, quæ intrinsece ac essentialiter respiciuntur, specificatio repetenda est, sed ex eo, quod respicitur tamquam finis naturalis ac per se intentus (2).

Objic. 2.^o Si motus specificaretur ex termino ad quem, identificari posset cum mutatione instantanea a termino negativo ad positivum. Sed motus a mutatione essentialiter

(1) Cfr. Rubius loc. cit., ac Toletus.

(2) Cfr. Rubius loc. cit.

Cur dicatur
natura non
intendere per
se corruptionem,
sed per
accidens.

distinguitur. Ergo.—Major constat. Ponamus enim tum motum tum mutationem ad eandem specificè formam terminari; tunc illæ duæ mutationes non aliter possent distingui nisi ex termino *a quo*, nimirum quia motus est a termino positivo, mutatio vero a negativo. Atqui juxta nos terminus *a quo*, non est principium distinctionis specificæ. Ergo...

Resp. dist. Major. Si motui essentialis sit successio, *neg.*; si non sit essentialis successio; *subdist.*; identificari posset, id ut, non esset essentialiter et specificè diversum, *conc.*, neque esset accidentaliter diversus, *neg.* Si enim motus essentialiter postulare successio; etiamsi mutatio instantanea terminaretur ad eundem terminum, adhuc possent specificè distingui ex hoc principio. Utrum autem successio sit motui essentialis nunc, disputabitur inferius in articulo quinto hujus capituli (1).

Objic. 3.^o Ex nostra sententia sequitur: α) ascensum ad aliquem locum esse motum ejusdem specie, ac descensum ad eundem ex alio eminentiori loco; β) augmentationem etiam in eadem specie versari, ac diminutionem; nam et augmentatio, qua crescit aliquod corpus e bipedali in tripedalem, et diminutio, qua aliud e quadrupedali volumine in tripedale decrescit, eundem habent terminum, nimirum magnitudinem tripedalem.

Resp. neg. utramque consequentiam, et probationem *distinguo*. Citati motus terminantur ad eundem terminum materiale, *conc.*: ad eundem formalem, *neg.* Nam idem locus diversimode attingibilis est, sive prout superior, sive prout inferior, sive prout dexter, sive prout sinister; hæ porro diversæ formalitates, sub quibus idem locus potest obtineri, illum reddunt formaliter multiplicem. Idemque dicitur de altero exemplo. Nam eadem tentative moles acquiri potest sub duplici formalitate majoris aut minoris.

Objic. 4.^o Motus violentus ac naturalis dicuntur etiam inter sese distingui. Atqui tamen illa distinctio non desumitur ex termino nec medio. Ergo etiam specificatio motus peti aliunde potest.

(1) Vide Conimbricensis, *Physicor.* lib. 5, cap. 4, quæst. 1, art. 3.

Resp. dist. Major. Distinguuntur essentialiter, *neg.*; accidentaliter, *conc.* Et concessa Minore, *dist.* conseq. Specificatio essentialis, *neg.*; accidentalis, *conc.* Ratio enim naturalis et violenti videtur esse ipsi motui accidentalis (1).

Plura de his apud laudatos autores require.

§ II.—UNITAS NUMERICA MOTUS.

293. Sententia est Aristotelis (2) hac in re, ad unitatem numericam requiri, ac sufficere unitatem mobilis, termini *ad quem*, actem poris: quam sententiam communissime tuentur Scholastici cum S. Thoma (3), Card. Tolet (4), Conimbricensibus (5), Rubio (6), Complutensibus (7), aliisque, quorum hic nobis breviter probanda doctrina est. Pius autem notatum volumus, hic agi de unitate compositionis et continuitatis, non vero de unitate simplicitatis atque indivisibilitatis, ut satis per se constat, siquidem et ipse motus est realitas non simplex et indivisibilis, sed successiva et continua.

2) Primo itaque requiritur ad numericam unitatem motus unitas mobilis. Nam unum numericè accidens nequit inesse in diversis subjectis. Sed motus est accidens, et recipitur in mobili. Ergo unus numero motus unum numero mobile requirit.

Dices 1.^o Si canis ex alto ruens vivere desineret, motus ille unus et continuus foret, mobile autem diversum foret non solum numericè, verum etiam specificè; nam corpus vivum et mortuum specie differunt.—**Resp.** Ad hanc difficultatem aliæ ab aliis aptantur responsiones, pro varietate opinionum circa subjectum accidentium corporeorum. Qui enim censent motum, sicut alia quoque accidentia, non in toto composito, sed in materia sola tamquam in subjecto adæquato inhærere, negabunt in exemplo proposito esse plura reapse mobilia, cum moriente cane, eadem numero

Communis
sententia
probat, /
statuens

ad unitatem
numericam
motus requiri
unitatem
mobilis,

(1) Vide Tolet. loc. cit., *Quinta conclusio*; Rub. ib. n. 30.

(2) Aristot., *Physicor.* lib. 5, cap. 4, text. 34.

(3) 5.^a *Physic.* lect. 3.

(4) 5.^a *Physic.* quæst. 2.

(5) 5.^a *Physic.* cap. 4, quæst. 5.

(6) 5.^a *Physic.* cap. 4, quæst. 2.

(7) *Ibid.* disp. 23, quæst. 2.

remaneat ejus materia. Qui autem putant e converso motum, sicut et alia accidentia, in toto composito tamquam in adæquato subjecto recipi, negant motum illum canis esse *unum continuum*, sed duos *contiguos*. Et ratio est, quia corpus illud, quoniam in certo quodam loco mortuum est, in cæteris ubicationibus jam non existerat ut vivum, sicut in præcedentibus nondum extiterat ut cadaver. Itaque quemadmodum dum canis viveret, motus ejus non erat mortui, ita ex quo mortuus est, jam non est motus vivi: quapropter motus mortui immediate subsequutus est motum vivi, illique sunt duo motus entitative discreti (1).

Dices 2.^o Sit ramus arboris partim viridis, partim aridus, qui moveatur. Motus ille manifeste unus est, et tamen non videtur mobile unum specie, nedum numero, quia duæ partes diversæ speciei, quales sunt vivens et mortua, non possunt vere continuari in eodem subjecto.

Respondeo simili modo. In sententia eorum, qui arbitrantur motum subjectari in toto composito, motus ille apparenter quidem unus est, re tamen duplex, ob duplex subjectum. Verum in altera sententia illorum, qui adæquatam motus subjectum volunt esse solam materiam primam, motus ille unus continuus est, nec vim habet difficultas.

3) Secundo requiritur terminus seu forma una. Nam ea, quæ ad diversas pertinent species, non possunt unum numero continuum efficere. Ergo unus motus nequit componi ex diversis specificè motibus partialibus. Atqui motus partiales, qui ad diversos specificè terminos vel formas terminantur, specificè diversi sunt. Ergo ut unus sit numero motus, debet ad unum terminum terminari.

Dices. Terminus motus localis est *Ubi* novum, quod mobili acquiritur. Atqui in uno eodemque motu locali variantur plura *Ubi*, ut cum lapis decidit, vel homo ambulat per terram, etc. Simile argumentum fieri potest in motu intensionis, qui successive et continuo plures acquirit gradus,

(1) Vide Rubium (*Physicor.* lib. 5, cap. 4, quæst. 2, num. 35), et Joann. a S. Thoma (*Physic.* quæst. 19, art. 4 ad 2.^{um}). Cfr. Pererius (op. cit. lib. 15, cap. 8), Tolet (loc. cit. quæst. 3.^a), Complutenses (disp. 22 *Physic.* quæst. 2), Mastrius (*Physic.* disp. 15, quæst. 8, art. 2, num. 84), etc.

quorum singuli possent esse termini motus, si in illis quiesceret.—**Respondeo**, quod in illo motu locali sunt plura *Ubi* partialia et inadæquata, unum vero adæquate et simpliciter, scilicet illud, in quo ultimo sistit motus. Reliqua enim, quia in illis non sistitur, potius habent rationem continuantis partes motus et transitus de uno in aliud, quam rationem termini. Et ita semper salvatur, quod terminus est unus, scilicet ubi datur ratio ultimi. Quod si motus sistat in medio, illud *Ubi* habet rationem termini hoc ipso, quod in eo sistitur: et tunc ab ejus unitate pendet motus (1).

γ) Tertio requiritur unitas temporis. Quia dum motus durat, tempus unum continuum est; non potest autem non cessare, vel quiescere, si tantisper interruptatur tempus vel duratio ejus. Jam vero motus, qui præcessit quietem, et qui eandem subsequitur, unus esse non potest. Ergo ut unus sit motus, oportet, ut uno continuo et non interrupto peragatur tempore.

Dices. Tempus ipsum unitatem suam accipit a motu, non secus ac successionem prioris et posterioris continuationemque. Nequit ergo unitas motus a temporis unitate repeti absque vitioso circulo.—**Respondeo** varie solere huic difficultati responderi. Dicitur satis commode potest in primis tempus, in ordine ad quem unitas motus desumitur, intelligendum videri non intrinsecum, quod nostra quidem sententia re non differt a motu, prout inferius dicetur, sed extrinsecum. Verum quidem est unum esse motum illum, cujus unum est tempus intrinsecum; sed supposita identitate utriusque, nihil reapse prodest ad cognoscendam unitatem motus unitas temporis. Unitas ergo motus desumitur ex unitate temporis extrinseci. Id tamen non eo sensu intelligas, quod unitas motus intrinsece et in se pendeat ab unitate temporis, sed extrinsece et quoad nos; ac proinde tempus dat unitatem motui per modum mensuræ, facientis nos cognoscere, quisnam sit motus unus. Ita ergo unus est motus, qui certo aliquo tempore cõextenditur, seu tamdiu durat absque ulla mora vel interruptione, quamdiu tempus illud perdurat.

(1) P. Joannes a S. Thoma (*Physic.* quæst. 19, art. 4 ad 1.^{um}). Aliæ solutiones apud alios videri possunt.

et unitatem
temporis:

unitatem
termini seu
formæ,

et nihil
aliud præterea.

8) Nihil aliud præterea requiritur, sed tria prædicta sufficiunt ad numericam motus unitatem. Nam duo alia solent a quibusdam tanquam necessaria proponi, unitas loci vel spatii et unitas moventis. Primum certe necessarium est, sed in unitate mobilis continetur; neque enim unum idemque mobile plura potest spatia occupare. Unitas autem motoris non videtur absolute requiri. Nam omnis motus est actio. Actio vero eadem procedere potest a duobus agentibus. Sic omnis actio et motus creaturæ fit simul et indivisibiliter a Deo: itemque aliæ actiones a duplici causa, principali et instrumentali, aliæ denum a pluribus causis partialibus in eundem effectum conspirantibus, ut cum duo viri eandem movent navim. Solum ergo dici potest requiri motorem unum non præcise unitate numerica, sed unitate causæ adæquatæ ac totalis, quæ potest resultare ex pluribus numero motoribus. Immo vero hanc eandem unitatem causæ adæquatæ ac totalis observant Auctores requiri ad motum, non quatenus motus est, sed quatenus actio; nam ut ex dictis in *Ontologia* (1), eadem actio non potest a duplici causa totali procedere. Verum plura de his si cupis, adi veteres Auctores superius laudatos.

§ III.—QUÆNAM SINT GENERA PRÆCIPUA MOTUS.

Tria sunt
genera motus
strictè sumpti:
augmentatio
et diminutio,
alteratio,
et motus localis.

294. Tria communiter assignantur desumpta et distincta ex ordine ad terminum, unde docuimus specificari motum: *augmentatio et diminutio, alteratio, et latio* seu motus localis. Et ratio est, quia spectato termino *ad quem*, tot sunt genera suprema motus, quot sunt prædicamenta, ad quæ terminari motus per se ac ratione sui potest, non vero solum per accidens. Atqui motus per se terminari non potest nisi ad quantitatem, qualitatem et *Ubi*; motus vero ad quantitatem terminatus vocatur *augmentatio* vel *diminutio*, motus secundum qualitatem *alteratio*, et secundum *Ubi* vel ubicationem, motus localis. Ergo...

Minor probatur per partes: α) *Motus terminari potest ad tria prædicta prædicamenta*. Nam motus importat mutationem, qua subjectum ab uno termino positivo transit in alium.

(1) Vide num. 301, pag. 1045, 1046 seqq.

Atqui manifestum est subjectum mutari posse, seu transire ab una quantitate in aliam, sive a minori ad majorem, sive vice versa; item ab una qualitate in aliam, ut a frigore ad calorem; ac demum ab uno loco in alium. Ergo...

β) *Nullum est aliud prædicamentum, ad quod per se terminetur motus. Non ad substantiam*, quia mutatio secundum substantiam vel est generatio, vel corruptio substantialis, vel simpliciter dicta: hæc autem non sunt motus physicus strictè sumptus, de quo solo hic loquimur. *Neque ac relationem*. Nam relatio non fit per se, ideoque tantum per accidens potest esse terminus motus, quatenus motus terminetur ad aliquid, unde exurgat relatio. Hoc pacto cum paries dealbatur, motus per se terminatur in albedinem, et solum per accidens dici potest terminari ad relationem, ex eo quod in pariete dealbato resultet relatio similitudinis cum alio pariete albo. *Neque ad actionem et passionem*. Nam actio et passio sunt realiter motus. Ergo si ad eas daretur motus, daretur motus ad motum. Sed ad motum per se non datur motus. Si enim ad unum motum per se daretur motus, ob eandem rationem ad illum priorem motum daretur per se alius motus, et ad hunc alium, et ita porro: nempe daretur processus infinitus per se in motibus, quod repugnat. *Nec denique ad reliqua prædicamenta*: nam, quemadmodum scribit S. Thomas (1), *Cum Quando significet esse in tempore, tempus autem sit numerus motus; ejusdem rationis est non esse motum in genere Quando, et non esse motum in genere actionis et passionis, quæ significant aliquid ipsum motum* (2) *Positio vero (situs) non addit supra Ubi, nisi ordinem partium determinatum, qui nihil aliud est, quam determinata relatio partium ad invicem. Habitus etiam importat habitudinem indumenti ad indutum. Et sic ejusdem rationis videtur esse, quod non sit motus in situ et habere, et quod non sit in Ad aliquid (relatione)*. Et ob hanc causam

Motus
non datur
ad substantiam,

neque
ad relationem,

neque
ad actionem
et passionem,

nec ad Quando,

nec ad situm,

nec ad Habitudinem.

(1) S. Thom., *Metaphys.* lib. 11, lect. 12, initio.

(2) Vel si mavis, *Quando* significare generatim durationem creatam (Cfr. *Ontolog.*, num. 369, pag. 1061), plane vides non posse dari motum ad istud prædicamentum. Nam duratio vel identificatur realiter cum ipsa existentia, vel est modus ejus. Atqui ad existentiam non datur motus, nec per se dari potest ad modum existentie.

Aristoteles cum de hac re ageret, non probavit, sed supponit, ad tria ista prædicamenta non posse terminari motum. Addit Joannes a S. Thoma (1) aliam rationem, cur ad *Situm* et *Habitu* non detur motus: quia nempe nequit ad ea dari nisi motus localis, qui primo et per se est ad *Ubi*; inde vero sequitur applicatio ordinata partium corporis, quod locatur, quod est situs, vel adjacentia indumenti, quod est habitus.

De tota ista controversia videri possunt Aristoteles (2), S. Thomas (3) et veteres Doctores, qui omnia tractant accurate ac minutatim (4).

Sola viventium augmentatio est species motus.

Declarantur varii modi augmentationis.

295. Jam relate ad tres istas motus species, pauca quædam notanda veniunt. Et primo quidem non quævis augmentatio est species motus, sed solum augmentatio propria viventium, quæ nutritione peragitur. Quod ut melius intelligas observa posse augmentationem sumi proprie et improprie. Nam quandoque, nempe latissimo sensu, augmentatio idem valet, ac fieri *quomodolibet* majus, sive penes extensionem, sive etiam penes intensionem; et ipsa augmentatio secundum extensionem latius sumitur, quando significat *quamlibet* molis additionem, sive continuam, sive etiam discretam. Immo vero in ipsa etiam molis additione adhuc potest improprie sumi augmentatio, ut v. g. accidit in dilatatione, quæ fit per partium, rarefactionem. Omnes istæ augmentationes improprie sunt, nec pertinent ad genus motus physici. Denique augmentatio sumi potest pro additione continua novarum partium, per quas rei quantitas et moles augetur: idque bifariam locum habet: primo per meram *appositionem* novarum partium, ut quando aqua fluminis augetur per guttas pluvie decidens vel per receptionem aquarum alterius fluminis; et secundo per intus-sumptionem alimenti, quod in propriam substantiam aliti convertatur, eique uniat, et incorporetur: id quod in solis corporibus viventibus locum habet. Hæc

(1) *Physic.*, quæst. 19, art. 2 fin.

(2) *Physicor.*, lib. 5, cap. 2; *Metaphysicor.*, lib. 11, cap. 10.

(3) *Physicor.*, lib. 5, lect. 3 et 4; *Metaphys.*, lib. 11, lect. 12.

(4) Vide Conimbricenses (*Physicor.*, lib. 5, cap. 2, quæst. 1 per totam), Rubium (*Ibid.* cap. 2, quæst. unic.), Benedictum Pererium (*Op. cit.*, lib. 14, cap. 1 et 2), Complutenses (*Physic.*, disp. 22 per totam), Joannem a S. Thoma (*Physic.*, quæst. 19, art. 1, 2 et 3).

itaque postrema ratio augmentationis viventium propria, et nulla alia præterea, speciem primam motus constituit. Et ratio est, quia illa sola augmentatio numeranda est inter species vel genera motus, ad quam per se motus terminatur. Atqui ad solum augmentum quantitatis in viventibus per nutritionem datur motus per se directus. Accedit, quod reliquæ augmentationes aut non continent re vera quantitatis additionem, aut certe non continuam, sed discretam; aut si continuam, talis ea additio est, quæ mere resultat ex motu locali (1).

296. Deinde quod motum secundum qualitatem attinet, in primis *buic... generi*, inquit Angelicus, *alludit hoc commune nomen, quod est alteratio: nam alterum solet dici, quod differt secundum qualitatem* (2). Cæterum monet ibidem S. Thomas cum Aristotele (3), alterationem proprie sumptam non esse motum secundum *quamlibet* qualitatem, sed solum secundum tertium genus qualitatis divisionis Aristotelicæ (4), nempe secundum *passionem* et *patibilem qualitatem* (5), ac proinde proprie alteratio est motus et mutatio secundum sensibiles qualitates in corporibus, prout idem S. Doctor fuse explicat alibi cum Aristotele, varios modos enumerans, quibus contingere alteratio potest (6). Improprie autem vocari solet aliquando alteratio motus secundum alia qualitatum genera. Nam *cum alteratio passiva includat in intellectu suo passionem; sicut passio duplex est, ita et duplex est alteratio. Dicitur enim communiter* (id est in sensu fusiori) *passio uno modo omnis*

et statuitur, in quoniam reperitur motus augmentationis proprie dictus.

Motus alterationis exponitur.

Non quævis mutatio secundum qualitatem est proprie dicta alteratio.

Quid passio proprie.

(1) Vide Cardin. Aguirre (*Physic.*, disp. 32, sect. 1.^a et 2.^a), apud quem et apud Benedictum Pererium (*Op. cit.* lib. 14, cap. 2), Conimbricenses (*Physic.*, lib. 5, cap. 2, quæst. 1, art. 1 et 4), Rubium (*Ibid.* cap. 2, quæst. unic., num. 8 et 12), Joannem a S. Thoma (*Ibid.* quæst. 19, art. 3), et Complutenses (*loc. cit.* disp. 22, art. 2), quædam difficultates adversus primum istud genus motus propositæ ac solutæ legi possunt.

(2) S. Thom., *Physicor.*, lib. 5, lect. 4, paragr. b.

(3) *Physicor.*, lib. 5, cap. 2, text. 18. Vide S. Thom., *Ibid.* lect. 4, paragr. b.

(4) Quam expositam vide in *Ontologia*, num. 327, pag. 939 seqq.

(5) Vide *Ontolog.*, num. 327, pag. 941.

(6) Videm Aristotelem (*Physic.*, lib. 7, cap. 3), et S. Thom. (*Ibid.* lect. 4, paragr. b.)

receptio, secundum quo intelligere pati (nempe passio quædam) dicitur; et sic etiam alteratio secundum istam passionem consistit in qualibet variatione circa receptionem alicujus qualitatis; et hoc modo potest esse alteratio etiam in substantiis pure intellectualibus... Alio modo dicitur proprie passio, quando abjicitur aliquid a substantia, et hoc est ex actione contrarii transmutantis: et secundum istam passionem alteratio dicta non est nisi circa sensibilia... (1).

Varie
alterationis
acceptiones.

Ex qua doctrina varîe colliguntur alterationis acceptiones. Et primo quidem nomen alterationis ab altero desumptum est. Alterum autem, quemadmodum notat Porphyrius in capite de Differentia, non est idem, ac aliud: nam alterum sonat differentiam accidentalem, aliud vero substantialem. Quare nomen alterationis communissime sumptum designat quamcumque mutationem et motum accidentalem. Sed sicut accidentalis motus secundum quantitatem vocatur augmentatio, et motus secundum locum, localis motus; ita etiam alterationis nomen reservatur in sensu magis proprio ad designandum mutationem secundum qualitatem. Verum hæc etiam acceptio alterationis adhuc non est maxime propria et stricta. Dantur enim mutationes quædam perfectivæ subjecti absque ullius præcedentis qualitatis corruptione, quales sunt v. g. non solum actus intentionales, quæ nequeunt proprie dici motus physici nec alterationes, verum etiam quædam mutationes physicæ ac sensibiles, ut illuminatio, quæ absque ulla prius in subjecto existentis qualitatis corruptione peragitur. Alteratio ergo in sensu pressissimo et valde proprio est, ad mentem Aristotelis, alteratio corruptiva, ea nempe, in qua corrupta priori qualitate, introducitur nova: tunc enim magis proprie res altera fieri dicitur. Ejusmodi alteratio sic describitur a Philosopho (2). *Alteratio est... quando manente subjecto sensibili, transmutatur in ejus passionibus, aut contrariis*

(1) S. Thom. 1.^o dist. 17, quest. 2, art. 1 ad 5.^{um} Ubi addit consequenter, propriam alterationem cadere in intellectum non posse per se, sed solum per accidens in homine quantum ad illas qualitates, quæ in parte intellectiva ex sensibus oriuntur, sicut sunt omnes habitus acquisiti. Cfr. idem S. Doctor 1.^o dist. 37, quest. 4, art. 1 ad 2.^{um}; 1. 2, quest. 52 ad 3.^{um}; 3.^o disp. 15, quest. 2, art. 1, solut. 1.

(2) Aristot., de Generat. et corrupt. lib. 1, cap. 4, text. 23.

motibus mediis. «Ex quo aliqui sic eliciunt definitionem alterationis, quod alteratio est motus ad qualitatem sensibilem mediam aut extremam, seu ad qualitatem habentem latitudinem contrarietatis. Dicitur motus ad excludendas mutationes instantaneas, inter quas præcipua est ipsa generatio. Dicitur ad qualitatem, ad excludendum alias species motus, quæ versantur circa quantitatem, vel locum. Dicitur qualitatem sensibilem, ad excludendum motus, qui fiunt circa qualitates spirituales, ut circa habitus vel actus. Dicitur mediam vel extremam, id est, contrarietatem et latitudinem habentem, ad excludendum eas qualitates, quæ contrarietatem non habent, ut lux, figura et aliæ similes» (1). Ex his patet etiam discrimen alterationis a generatione, tum substantiali tum accidentali: a substantiali quidem differt sive ex parte termini, nam terminus generationis substantialis est substantia; sive ex parte subjecti, quia subjectum generationis ejusmodi est materia prima, alterationis autem substantia sensibilis; sive ex parte mutationis, quia generatio substantialis, secus atque alteratio, est instantanea; sive demum, ex parte termini a quo, quia terminus a quo formalis generationis est privativus, cum generatio sit a non esse ad esse, terminus autem alterationis est qualitas positiva, qua corrupta, inducitur alia nova. A generatione autem accidentali differt, quia etiam hæc formaliter est a termino negativo ad positivum, et quia latius patet, quam alteratio presse sumpta.

Definitio
alterationis
strictissime
sumpta.

Alterationis physicæ ac sensibilis hactenus descriptæ triplex distinguitur species: prima ex defectu vocabuli genericum retinet nomen, diciturque simplex alteratio; secunda intensio; tertia, remissio. Simplex alteratio tendit ad acquirendam aliquam qualitatem, quæ prius non erat; secunda qualitatem jam existentem in subjecto perfectiorem reddit, ut cum corpus calidum fit calidius; tertia e converso est mutatio a perfectiori in minus perfectum gradum ejusdem qualitatis. Ratio vero hujus divisionis est, quia triplex modus latitudinis ac distantie considerari potest in qualitate, nimirum vel inter diversas qualitates contrarias, vel inter diversos gradus

Alterationis
presse sumptæ
species: simplex
alteratio,
intensio
et remissio.

(1) Joannes a S. Thoma /Physic, part. secunda, quest. 3, art. 1). Cfr. Conimbricenses (loc. cit., lib. 7, cap. 3, quest. unic.)

ejusdem specificæ qualitatis. Aliæ quoque species alterationis, proponuntur, ut *mixtio*, *addensatio* et *rarefactio* etc. Verum istæ «non sunt species dividentes alterationem secundum formalitatem motus, id est secundum diversum modum latitudinis et distantiae, sed secundum specificationem desumptam ex parte termini *ad quem*; sicut addensatio, quia producit densitatem, et rarefactio raritatem, et mixtio qualitatem temperatam, differunt inter se, sicut etiam differt calefactio et frigeffectio et aliæ alterationes ex parte diversorum terminorum, a quibus specificantur: licet quia mixtio et addensatio et rarefactio communiore sunt, et specialiores habent difficultatem», (1) ideo singillatim tractantur ab auctoribus.

Alteratio
stricte sumpta
solum
terminatur
ad tertium
qualitatum
genus.

Quæ cum ita sint, haud operosum erit ostendere alterationem stricte sumptam non terminari posse, nisi ad tertium qualitatum genus. Et ratio est, quia cum alteratio stricta importet mutationem de qualitate in qualitatem, duas potissimum condiciones requirit: prima est, ut alteratio versetur inter contrarias qualitates, quarum prior abjiciatur, et altera in ejus locum introducatur; secunda, ut alteratio ita terminetur ad qualitatem, ut non mediet alia qualitas vel terminus, ad quem prius illa terminetur, nam ad qualitatem, quæ solum ex consequenti resultat ex productione alterius prioris, nequit dici proprie ac per se terminari alteratio. Ex quo jam illico patet alterationem proprie sumptam non posse terminari ad primum genus qualitatum, *habitus* nempe ac *dispositionem*; nam istæ, si sermo sit de operativis, non requirunt necessario in subjecto præviã qualitatem contrariam corrumpendam per alterationem: non enim necesse est, v. g. ut qui virtutem vel scientias excolit, et acquirit, prius vitio vel errore inquinatus fuerit. Aliæ vero qualitates primi generis, quæ non operationem, sed esse dumtaxat subjecti respiciunt, quales sunt v. g. sanitas et ægritudo et pulchritudo, non sunt terminus primo et per se intentus per alterationem, sed consequenter resultant ex proportionem humorum in corpore et ex apta conformatione membrorum et coloris temperatione. Et ob eandem hanc rationem nec figura

(1) Joann. a S. Thomæ (loc. nup. cit.), apud quem plura reperies.

et forma, quæ est quartum genus qualitatum, potest esse terminus alterationis, quia figura et forma resultat ex quantitate, et modificatur eo ipso, quod superficies modificetur per augmentationem vel alterationem aliarum qualitatum vel per actiones circa ipsam quantitatem immediate exercitas. Deinde nec ad secundum genus qualitatum, potentiam naturalem et impotentiam, datur primo et per se alteratio: quia potentia et impotentia naturalis nec habent contrarium nec latitudinem in subjecto ita, ut vel ab una ad aliam, vel ab uno gradu ad alium alicujus ejusmodi qualitatis transire subjectum naturaliter queat, quia sunt proprietates ingenitæ atque inseparabiles illius. Præterea ipsæ in proprio subjecto non existunt tamquam terminus alicujus motus, sed per dimensionem, prout in *Ontologia* declaratum est (1). Itaque *asperum* et *lene*, *durum* et *molle*, etc., quoties sunt veræ proprietates et qualitates secundi generis, non sunt terminus motus, quia resultant consequenter, producta rei natura. Si autem sint adventitiæ quædam affectiones in subjecto existentes præter naturalem exigentiam, non spectant ad secundum, sed ad tertium genus qualitatum secundum aristotelicam divisionem. Denique in qualitativis tertiæ speciei datur propria et stricta alteratio, quia et contrarietatem habent ac latitudinem, et possunt esse terminus motus primo et per se intentus; non tamen in omnibus, «sicuti patet in lumine et odore, quorum illud contrarium non habet, hic etsi habeat, non id tamen in subjecto præexigit» (2). Verum plura de his vide apud veteres Auctores (3).

297. Demum de motu locali nulla occurrit hic difficultas, satis enim patet esse unam de speciebus motus physici (4).

Jam si tres istas species motus inter se compares, localis dicitur cæteris prior tempore ac perfectione. *Motus localis*, inquit S. Thomas, *est primus inter omnes motus et*

Motus localis

Motus localis quomodo sit cæteris prior tempore ac perfectione.

(1) Vide num. 320 seqq., a pag. 922.

(2) Conimbrienses, *Physic.* lib. 7, cap. 3, quæst. unie. art. 1 fin.

(3) Cfr. nominatim Card. Aguirre (*Physic. disp.* 32, sect. 3), et Joannes a S. Thomæ (loc. cit. artic. 2).

(4) Vide, si lubet, quasdam difficultates solutas apud P. Benedictum Pererium (op. cit. lib. 14, cap. 2). Cfr. Cardin. Aguirre (loc. nup. cit. num. 36 seqq.).

tempore, quia solus potest esse perpetuus, ut probatur in 8.^o *Physicor.* (text. comm. 54 seqq.), et naturaliter, quia sine ipso non potest esse aliquis aliorum motuum. Non enim augmentatur aliquid nisi praeexistente alteratione, per quam quod prius erat dissimile, convertatur, et fiat simile (nempe per assimilationem alimenti in substantiam aliti). Neque alteratio potest esse nisi praeexistente loci mutatione: quia ad hoc, quod fiat alteratio, oportet quod alterans magis sit propinquum alterato nunc, quam prius. Est etiam perfectione prior, quia motus localis non variat rem secundum aliquid ei inherens, sed solum secundum aliquid extrinsecum; et propter hoc est rei jam perfectae (1). Vide alium modum perfectionem localis motus explicandi apud eundem S. Thomam (2). Caeterum recte monet Suarez « motum localem dici perfectiorem, quia minus transmutat mobile, unde fit, ut in perfectissimis rebus creatis etiam incorruptibilibus reperiri possit; non vero dicitur perfectior, quia semper maiorem afferat perfectionem mobili, nam per alterationem fieri potest qualitas aliqua, quae maiorem perfectionem addat substantiae vel quantitati, quam praesentia localis, quae fit per motum » (3).

Nomen genericum motus a motu locali derivatur ad ceteros motus. Cur corpora a substantiis

Ex eo quod motus localis est prior omnium aliorum motuum, 1.^o concludit S. Thomas, quod secundum Philosophum (8.^o *Physicor.* text. 57) nomen motus et distantiae et omnium huiusmodi derivatum est a motu locali ad omnes alios motus (4). Praeterea 2.^o rationem repetit, cur corpora moveantur a substantiis spiritualibus motu locali immediatius, quam aliis motibus.

(1) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 82. *Amplius, primum in quolibet.* Cfr. 1. p. quaest. 110, art. 3; 2.^o dist. 12 quaest. 1; art. 1 ad 5.^{um}, 3.^o *Physicor.* lect. 14 paragr. f. seqq.

Hic probe nota rationem ista S. Thomae eodem modo subsistere, quamvis admittatur, quod motu locali acquiritur modus ubicationis intrinsecae rei motui inherens, quia modus ejusmodi reapse non variat subjectum, sicut augmentatio et alteratio. Cfr. quae in *Ontologia* scripsimus num. 373, pag. 1069, in respons. ad *Dices* 2.^o: itemque lege et bene pondera verba S. Thomae (2.^o dist. 12 quaest. 1, art. 1 ad 5.^{um}, et 8.^o *Physicor.* lect. 14, paragr. i, paulo ante fin. lectionis). Vide etiam Complutenses (*Physic.* dip. 16, quaest. 4, num. 3).

(2) *Physicor.* lib. 8, lect. 14, paragr. h.

(3) Suarez, *Metaphys.* dist. 35, sect. 6, num. 16.

(4) S. Thom. 4.^o dist. 49, quaest. 1, art. 4, solut. 3.

Primo quidem, quia posteriora perficiuntur mediantibus prioribus: unde et alii motus a substantia spirituali causantur medio motu locali. Alio modo, quia sicut jam supra dictum est (artic. praec.) effectus debiles possunt fieri immediate a remotiore agente. Unde minima variatio corporalis, quae fit per motum localem, potest fieri per substantiam spiritualem, quasi per agens remotum, non autem alia major variatio, qualis est aliorum motuum (1). El ideo natura corporalis nata est moveri immediate a natura spirituali secundum locum. Unde et Philosophi posuerunt, suprema corpora moveri localiter a spiritualibus substantiis: unde videmus, quod anima movet corpus primo et principaliter locali motu (2).

spiritualibus immediatius motu locali, quam aliis motibus.

ARTICULUS V.

De successione et contrarietate motus.

298. Diximus in primo articulo motum strictè sumptum successivum esse, et inter contrarios terminos versari, unde sequitur in motibus contrarietatem inesse posse. De hisce pauca nunc addenda sunt ad majorem rei declarationem. Et primo quidem de successione.

§ I.—AN ET QUOMODO SUCCESSIO CONVENIAT MOTUI.

Successionem in motibus, sive augmentationis sive alterationis sive locali, experientia ipsa passim nobis demonstrat. Si quis autem causam hujusce rei quaerat, radix successionis potest esse vel ex capacitate ac latitudine ipsius termini acquirendi, vel ex resistentia subjecti propter qualitatem contrariam aut dispositionem repugnantem introductioni novae qualitatis, vel etiam ex successiva applicatione virtutis ad subjectum, ut sol successive illuminat, et calefacit diversas terrae partes. Et in motu quidem locali successio procedit ex latitudine spatii percurrendi; in augmentatione, tum ex latitudine quantitatis, tum ex successiva

Triplex radix successionis, quae est in motu: gradus latitudo termini acquirendi, resistentia subjecti, et successiva applicatio virtutis ad passum vel subjectum.

(1) S. Thom. (*de Malo*, quaest. 16, art. 10). Cfr. Suarez (loc. sup. cit. num. 16 seqq.).

(2) S. Thom. 1. p. quaest. 110, art. 4.

introductione dispositionum in alimentum, quod in substantiam aliti convertendum est; in alteratione demum, potissimum in ea, quæ se tenet penes graduum intensionem, utraque causa intervenire potest. Et primo quidem successiva applicatio sæpe locum habet in successiva alteratione propter distantiam inter agens et passum, ob quam agens non agit in principio, quantum absolute posset, spectata sua virtute, sed solum quantum licet per distantiam, quæ si successive et continuo minuatur, successive et continuo crescat effectus alterationis, necesse est. Similiter ex resistantia passi proficitur sæpe successio in motu alterationis, ut experientia ipsa notum est, v. g. in ligno vel ferro, quod etiamsi maximo igni perfecte applicatum sit, non tamen subito calefit perfecte, videlicet propter resistantiam ipsius ligni vel ferri. Nam cum agens sit virtutis finitæ, non potest statim passi resistantiam superare, quæ quo major est, eo tardior est actio agentis, et vicissim (1). Hisce causis aliam addit Suarezius, nempe limitationem vel imperfectionem virtutis in agente; nam ex illa etiam provenire potest, ut non possit subito fieri totus effectus, et ideo paulatim ac per partes fiat. «Itaque hæc causa differt a præcedentibus, quia seclusa resistantia passi et ablata etiam omni distantia inter agens et passum; ex eo præcise quod agens est imperfectæ virtutis, determinatur ad talem modum agendi, ut non possit omnes gradus latitudinis formæ simul efficere, sed unum post alium» (2).

Utrum
motus absque
successione
possit esse:
augmentatio
certe potest
absolute
loquendo;

Nolim tamen, ut exinde statim inferas, omnes hosce motus non posse omnino absque successione effici. Et in primis quod augmentationem attinet, «si præcise ac per se consideremus terminum illius..., quamvis ex parte illius sit *capacitas* aut *non repugnantia*, ut successive fiat, tamen id non est *per se* ac simpliciter necessarium ex vi talis termini; nam sicut partes quantitatis omnes simul sunt, ita ex parte earum non repugnat simul acquiri.» Nec porro totum simul terminum augmentationis acquiri repugnaret, «si aut ex parte agentis esset sufficiens virtus ad adæquate agendum in

(1) Vide Lossada (*de Generat. et corrupt.*, disp. 3, cap. 5, num. 105), *De Benedict.*, lib. 4, quæst. 2, cap. 2).

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. 46, sect. 3, num. 18.

partem distantem ac in proximam, aut si ex parte passi seu alimenti esset inæqualis dispositio aut resistantia in partibus distantibus ac propinquis ita, ut ratione illius inæqualitatis, compensando nimirum majorem distantiam cum minori resistantia, possint eodem tempore æqualiter disponi. Sic enim conversio alicujus certæ partis alimenti posset in instanti consummari, et tunc aggeneratio et accretio aliqua in instanti fieret, et in ea non esset *extensio successiva...*» (1), quæ se tenerent formaliter ex parte termini, sed solum esset *extensio continua* ex parte subjecti, quia nempe augmentatio illa fieret, essetque in subjecto continuo et extenso. Quæ duo non sunt idem, nam potest terminus instantaneæ factus absque ulla successione habere extensionem in subjecto, ut v. g. «cum illuminatio subito fit in toto corpore vel visio in oculo, in quo habet extensionem aliquam, nam sicut lumen ipsum vel actus videndi, ut est qualitas corporea, sunt extensa in subjecto et quanta per accidens, ita actiones vel mutationes, quæ in illis qualitibus efficiendis interveniunt, habent similem extensionem in subjecto, et sunt etiam quantæ per accidens» (2). Non ergo repugnat augmentationem fieri absque successione.

itemque
alteratio.

Motus quoque alterationis non repugnat absolute, quominus caret successione. Quia non apparet repugnantia in eo, quod «tota transmutatio ab uno contrario in aliud fiat in instanti, si non desit virtus in agente, quia gradus intensionis, per quos fieri solet successio alterationis, non repugnant in eodem subjecto, neque inde oritur necessitas successionis, sed ex sola resistantia. Et ideo si hæc nulla sit, vel si a virtute agentis sine ulla proportione superetur, possunt omnes illi gradus in instanti fieri, sicut possunt simul esse» (3). Idemque dici potest de alteratione simpliciter dicta seu de prima qualitatis novæ introductione, destructa præcedenti, nam virtus potentissima agentis, cur non possit momento præcedentem qualitatem corrumpere novamque introducere?

Verum motus localis corporum, quidquid sit de motu substantiæ spiritualis, ita intrinsece postulat successionem,

At motus
localis saltem
naturaliter

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 40, sect. 8, num. 10.

(2) Suarez, *ibid.*, num. 4.

(3) Suarez, *Metaphys.*, disp. 30, sect. 4, num. 26.

est necessario
successivus:

ut nequeat fieri in instanti, quia non potest eadem pars mobilis simul attingere distantem partem spatii, et pertransire propinquam. Sane repugnat saltem naturaliter corpus simul esse in duplici vel multiplici loco adæquato. Atqui si corpus moveri localiter posset absque successione ab uno in alium locum, simul esset in multiplici loco adæquato. Nam si absque successione transit ab uno in alium locum, in uno instanti, atque adeo simul, esset in duplici extremo loco et in medio. Si enim non esset simul et in eodem instanti in omnibus hisce locis, in uno esset prius, in altero posterius, ac proinde motus foret successivus. Atque ita sentiunt auctores communiter (1). Nec dicas posse saltem corpus in instanti transire ad locum priori contiguum, non quidem ita ut in utroque simul esset, sed ita ut in uno instanti, relicto priori, novum acquireret. — **Nam in ea hypothesi argumentum, quod de toto corpore factum est, ad partes ejus transferretur.** Partes siquidem illæ omnes deberent simul in uno instanti innumeras partes spatii occupare, ut totum corpus ab uno loco in alium contiguum transferretur, quemadmodum per se patet. Solum ergo controvertitur, utrum corpus possit saltem divinitus moveri localiter in instanti ac sine ulla prorsus successione. Negant Conimbricenses (2) Rubius (3) aliique. Verum affirmant alii multi, ut Suarez (4), Hurtadus (5) Arriaga (6), Soares lusitanus (7) et Mastrius (8): ac duobus modis id fieri posse arbitratur Doctor Eximius: «unus est transeundo vel secundum totum vel secundum partes ab extremo in extremum, non *tangendo medium* (9); alius est, si simul totum mobile existat in

(1) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 30, sect. 4, num. 27), Soares lusitan. (*Physic.* trat. 6, disp. 1, sect. 1, paragr. 1), Rhodes (*Philos. peripat.* lib. 2, disp. 6, quæst. 2, sect. 2, paragr. 1).

(2) *Physicor.* lib. 6, cap. 6, quæst. unic.

(3) *Physicor.* lib. 6, cap. 3, quæst. unic., num. 66.

(4) *Loc. nup. cit.*

(5) *Physic.* disp. 11, sect. 10, num. 70.

(6) *Physic.* disp. 12, num. 14.

(7) *Loc. nup. cit.*, paragr. 2.

(8) *Physic.* disp. 15, quæst. 6, art. 5.

(9) Hic tamen modus non ab omnibus aptus ad rem evincendam habetur. Quia alii Auctores, quamvis concedant posse unum corpus divinitus ab extremo in extremum, non transeundo per medium

termino et in toto spatio medio et in singulis partibus ejus». Remque fusius declarat Soares lusitanus in hæc verba: «Successio actualis competit motui locali ratione ubicationum, quæ... cum mobile non possit esse in spatio majori, quam exigit sua sphaera, et alioqui non possit habere plures ubicationes, necessario acquiruntur una post aliam, ac proinde successive. Atqui Deus potest dare mobili omnes ubicationes simul in eodem instanti: v. g. debebas naturaliter successive moveri hinc usque ad Ecclesiam per totum spatium... miliarium. Potest Deus per plures ubicationes te simul in instanti collocare toto hoc spatio usque ad Ecclesiam. Hic motus suapte natura postulabat ubicationes successivas, unam post aliam; at divinitus omnes simul ei dantur in instanti. Ergo tunc dabitur motus in instanti, non quod detur successio in instanti, sed quod in instanti sine illa detur motus, qui illam exigebat suapte natura.» Verum plura de hac re dabitur Conimbricenses, Soares lusitanus et Mastrius.

Cum his magnam habet conexionem questio illa, utrum successio sit de essentia vel ratione motus, atque adeo utrum divisio motus in instantaneum et successivum sit essentialis, an vero accidentalis, vel utrum motus successive et instantaneæ facti, solum per hoc essentialiter differant necne inter se. Essentialem esse motui successivum contendunt Conimbricenses (1), Toletus (2), aliique apud Soares lusitanum (3). Alii tamen cum Eximio Doctore (4), Soares lusitano, Mastrio (5), Cosmo Alamannio (6), negant successivum esse motui essentialem, quamvis hic ultimus exceptum velit localem motum, de cuius ratione putat esse successivum, et simili modo loquitur Rubius. Et istam secundam sententiam sequi necessario debent, quicumque motum in instanti fieri per divinam virtutem posse arbitrantur: id enim

transferri, negant tamen id fieri posse per motum localem. Vide v. g. Joannem S. Thoma. (*Physic.* quæst. 19, art. 5 fin.)

(1) *Physic.* lib. 3, cap. 2, quæst. 2.

(2) *Physicor.* lib. 3, quæst. 1, conclus. 2.^a.

(3) *Physic.* tract. 3, disp. 1, num. 11.

(4) Soares, *Metaphys.* disp. 49, sect. 4 a num. 6.

(5) *Physic.* disp. 15, quæst. 6, artic. 2.

(6) *Summ. philos.*, prima secundæ, quæst. 17, art. 2.

Utrum
successio sit
de essentia
motus:

variae
sententiae.

utrum
autem per
divinam
virtutem possit
esse
instantaneus,
disputatur
ab auctoribus.

evidenter repugnaret, si successio esset de ratione motus; nam ex eo quod motui sit vel non sit essentialis successio, re vera pendet, quod non repugnet illum divinitus fieri in instanti. Controversia ista ex nuper dictis resolvi potest. Ne tamen in æquivoco laboremus, notandum est, motui esse essentialem successionem, significare motum physicum dari non posse absque successione, ita ut si terminus aliquis v. g. calor octo graduum produceretur in instanti, ea actio non esset de specie motus physici, sed esset actio alterius speciei: unde si de ratione motus est successio, mutatio instantanea in calorem octo graduum et motus successivus ad hunc eundem terminum specificè differrent, sicut differunt canis et leo. Si autem successio non est de ratione motus, actio, qua idem terminus in instanti, et altera, qua successive acquireretur, solum accidentaliter differrent, sicut duo canes diversi coloris, vel certe diversæ stirpis.

Successio non videtur essentialis motibus augmentationis et alterationis;

Itaque quantum attinet motum augmentationis et alterationis, videtur communissima Scholasticorum tenenda sententia, docentium successionem non esse de ratione illorum. Et ratio est, quia successio in his motibus non est intrinseca, sed extrinseca, nec procedit ex vi ac necessitate ipsius termini, sed vel ex resistantia passi vel ex limitatione agentis, quemadmodum superius declaratum est. Quamvis enim adsit in termino latitudo graduum, sive extensiva sive intensiva, tamen omnes illos gradus simul esse non repugnat, ac de facto simul permanent, terminato motu vel actione illorum productiva. Ergo quod ejusmodi termini successive fiant vel instantanee, non videtur variare ipsam rationem productionis eorum. Immo vero quandoque successio in quibusdam alterationibus videtur se habere omnino per accidens, quando nempe intensio qualitatis paulatim fit ex defectu applicationis in agente: exemplum habes in intensione lucis, quæ fiat in hoc spatio a lucerna paulatim accedente, tota quippe fieret in instanti, si lucerna hic subito appareret. Cum vero successio in motu provenit ex resistantia passi, spectato causarum naturalium ordine non potest motus in instanti fieri, quamvis non postulet essentialiter, immo nec intrinsece, successionem (1).

(1) Vide citatos auctores, et Lossada (*Physic. tract. 3, disp. 1, cap. 1, num. 7*).

Quare motui physico et strictè sumpto, ei nimirum, qui importat transitum a termino positivo in alium positivum, seu a subjecto in subjectum, non est essentialis successio, saltem si localem motum excipias (1).

Quid autem dicendum sit de motu locali, magis dubium est. Facile concedunt omnes, successionem, sin minus essentialem, intrinsecam illi certe esse tamquam veram ejus proprietatem. Quemadmodum enim jam superius declaravimus, terminus ipse motus istius, nova nempe ubicatio adæquata totius corporis singularumque partium, successionem intrinsece exigit. Utrum autem non solum intrinsece, verum etiam essentialiter postulet successionem, vel utrum successio conveniat locali motui in primo modo dicendi per se (2), id est, tamquam prædicatum essentialè, aliis definiendum relinquo. Modus tamen, secundum quem uterque Suarius, ut nuper vidimus, explicant possibilitatem instantanei motus localis, forte non caret sua probabilitate (3).

longe autem magis dubium est, utrum idem dicendum sit de motu locali.

§ II.—UNDENAM PETENDA CONTRARIETAS MOTUUM.

299. Dari motus invicem contrarios communi consensu admittitur cum Aristotele ac S. Thoma (4). Nec vero solum: motui motus contrariari potest, verum etiam quies quies, et immo etiam motui quies. Queritur itaque primo, undenam petenda sit contrarietas motuum: quinque enim sunt modi, secundum quos contrarietatem motibus advenire concipi potest, ut recte enumerat Philosophus: *quorum primus modus est, ut ratio contrarietatis motuum accipiat secundum accessum ad aliquem terminum et recessum ab eodem... secundum quam rationem generatio et corruptio videntur esse contraria, quia generatio est motus ad esse, corruptio autem est motus ex esse. Secundus modus est, ut ratio contrarietatis motuum accipiat secundum contrarietatem terminorum, a quibus incipit motus... ut (motus) qui est ex sanitate* (contrarius est)

Status questionis.

(1) Vide Suarez, *Metaphys. disp. 49, sect. 4 a num. 6*.
 (2) Vide *Logicam*, num. 237, pag. 864, 865.
 (3) Plura in utramque partem, si vis, apud Rubium, Conimbricenses ac Soarium lusitanum require.
 (4) Vide Aristot. (*Physic.*, lib. 5, cap. 5), et S. Thom. (*ibid.*, lect. 8), aliosque interpretes.

ei, qui est ex ægritudine. Tertius modus est, ut contrarietas motuum accipiatur secundum contrarietatem terminorum, ad quos terminatur motus... ut (motus) qui est in sanitatem (opponitur) ei, qui est in ægritudinem. Quartus modus est, ut accipiatur motuum contrarietas secundum contrarietatem termini a quo ad terminum ad quem... ut (motus) qui ex sanitate (contrariatur) ei, qui est in ægritudinem. Quintus modus est secundum contrarietatem ex parte utrorumque terminorum..., ut motus qui est ex sanitate in ægritudinem (contrarius est) ei, qui est ex ægritudine in sanitatem (1).

Contrarietas
motuum
nequit desumi
ex contrarietate
termini
a quo
ad terminum
ad quem;

300. DICO ERGO 1.^o Contrarietas motuum nequit desumi ex quarto modo seu ex contrarietate termini a quo ad terminum ad quem.

Nam re vera motus a termino a quo in terminum contrarium ad quem efficit unum eundemque motum, ac proinde contrarietatem non continet, cum ratio ipsa motus physici in eo consistat, quod inter duos terminos saltem aliquo modo contrarios versetur, recedendo ab uno, et accedendo ad alterum (2).

neque
ex contrarietate
terminorum,
a quibus;

301. DICO 2.^o Contrarietas motuum non desumitur ex sola contrarietate terminorum, a quibus duo motus incipiunt.

Et probatur, quia duo motus, qui in idem tendunt, non sunt contrarii. Sed duo motus ex contrariis recedentes possunt in unum et idem tendere, v. g. duo motus qui ex contrariis terminis in idem medium tenderent. Præterea ex illo accipienda est contrarietas in motu, quod magis facit motum esse contrarium. Sed contrarietas terminorum, ad quos motus terminatur, magis videtur esse causa contrarietatis motuum, quam contrarietas terminorum, a quibus incipit motus. Quia cum dico motus incipere a contrariis terminis, dico remotionem contrarietatis; cum vero dico motus accedere ad contraria, dico accceptionem contrarietatis. Ergo non accipitur contrarietas motuum secundum

(1) S. Thom., *Physicor.*, lib. 5, lect. 8, initio, cum Aristot. *ibid.* cap. 5.

(2) Cfr. S. Thom. et Aristoteles, *ibid.* paragr. b.

terminum a quo tantum (1). Tertio idem probatur, quia ab eo, a quo aliquid recipit nomen et speciem, recipit etiam contrarietatem (cum contrarietas sit differentia secundum formam, ut patet ex 10.^o *Metaphys.*), nam unitas et diversitas et oppositio consequuntur propriam rerum specificationem. Sed unusquisque motus magis... denominatur, et speciem recipit a termino ad quem, quam a termino a quo, sicut sanatio dicitur motus in sanitatem, et ægrotatio motus in ægritudinem... Magis ergo accipienda est contrarietas motuum secundum terminum ad quem, quam secundum terminum a quo (2).

Supersunt ergo tres modi: primus, in quo contrarietas obiebat ex accessu et recessu ab eodem termino; tertius, in quo contrarietas desumebatur ex contrarietate solius termini ad quem; et quintus, in quo ex contrarietate utriusque termini contrarietas repetebatur.

302. DICO 3.^o Contrarietas propria motuum desumitur ex quinto modo seu ex contrarietate utriusque termini ita, ut illi motus proprie dicendi sint contrarii, quorum unus habeat terminum a quo contrarium termino a quo alterius, et terminum ad quem contrarium termino ad quem alterius.

desumitur
autem
ex contrarietate
utriusque
termini.

«Contrarietas enim motuum desumi debet ex propria ratione motus. Sed propria ratio motus, per quam differt a generatione et corruptione, est quod sit mutatio ex subjecto in subjectum seu ex affirmato in affirmatum. Ergo proprie contrarietas motuum consistit in hoc, ut uterque terminus affirmatus sit contrarius utrique termino affirmato: ex. gr. sanatio et ægrotatio sunt motus contrarii, quia per ipsos itur a contrario in contrarium; nam per sanationem ex ægritudine itur ad sanitatem, per ægrotationem ex sanitate acceditur ad ægritudinem» (3). Aliam probationem ex inductione petitam vide, si lubet, apud Aristotelem (4). Isti

(1) S. Thom., *ibid.* paragr. c et d, cum Aristot. *ibid.*

(2) S. Thom., *ibid.* paragr. e, cum Aristot. *ibid.*

(3) Ita Aristoteles, loc. cit., secundum paraphrasin P. Sylvestri Mauri (*Aristotelis Opera omnia* etc., *Physicor.* lib. 5, cap. 7, *Dicendum tertio*). Cfr. S. Thom. (*ibid.* paragr. g.)

(4) Loc. cit. Cfr. S. Thom. (*ibid.* paragr. h), et Mauri (*ibid.*)

porro motus si solum accipiantur, secundum quod habent contrarios terminos *ad quos*, v. g. mutatio ex non albo *in album*, et ex non nigro *in nigrum*; re vera non sumuntur ut motus proprii, sed ut mutationes. Nam motus proprius est mutatio a subjecto affirmato vel termino positivo ad subjectum affirmatum seu terminum positivum. Atqui non sunt ejusmodi mutationes a non albo *in album*, et a non nigro *in nigrum*. Ergo tales mutationes non sunt proprii motus, sed puræ mutationes.

303. DICO 4.^O Primus modus oppositionis, qui est secundum accessum et recessum ab eodem termino, non continet contrarietatem MOTUS PROPRII, sufficit tamen ad constituendas MUTATIONES CONTRARIAS.

Primum patet, quia in illa oppositione non habentur duo termini positive. Alterum autem probatur. Nam mutationes illæ ita se habent, ut terminus *a quo* unius sit terminus *ad quem* alterius. Hoc modo contrariæ dicendæ sunt v. g. generatio et corruptio ignis. Nam generatio ignis est accessus *ad* formam ignis, et corruptio est recessus *a* forma ignis. Atqui acceptio formæ et ejusdem abjectio contrariæ sunt.

304. DICO 5.^O Cum datur medium inter contraria, motus e medio ad extremum et motus inversus habendi sunt contrarii, sicut motus ab uno in aliud extremum.

Et ratio est, quia medium respectu extremi habet rationem contrarii: v. g. fuscum respectu albi habet rationem nigri, et rationem albi respectu nigri. Ergo motus, quo subjectum ex fusco fit album, contrarius existimandus est ei, quo ex albo fit fuscum (1).—Et hactenus de contrarietate motuum; nunc dicendum est de contrarietate quietum.

305. DICO 6.^O Quamvis motui simpliciter non contrarietur nisi motus, tamen quodammodo dicitur quoque motui contraria quies.

Probatur, quia quies est privatio motus. Sed privatio dicitur quodammodo contraria formæ. Ergo.

(1) Vide Aristot., S. Thom., Mauri, et alios interpretes, loc. cit.

306. DICO 7.^O Motui ex uno termino in contrarium opponitur quies in primo; v. g. calefactioni, quæ est motus ex frigore ad calorem, opponitur quies in frigore.

Probatur. Quietum in uno termino datur aliquis contrarius motus. Atqui quieti in quovis termino non contrariatur motus ad eum ipsum terminum, nec ad alium disparatum. Ergo contrariatur motus, quo ab illo termino, in quo est quies, receditur, seu motus ad terminum contrarium. Probatur prima pars Minoris. Nam motus in aliquem terminum est propter quietem in illo, v. g. sanatio, quæ est motus ad sanitatem, est propter quietem in sanitate, ideoque fieri motus est quodammodo fieri quietis. Ergo irrationabile est, quod motui in aliquem terminum opponatur quies in illo ipso. Probatur altera pars Minoris. Quia quieti v. g. in albedine non opponitur sanatio, quæ est motus ad sanitatem; præsertim cum possit simul quiescere in albedine et moveri ad sanitatem. Idemque dici potest de quiete in quovis alio termino respectu motus ad alium quemlibet terminum disparatum. Ergo quieti in aliquo termino non opponitur nisi motus, quo ab eo receditur, et acceditur ad contrarium terminum.

307. DICO 8.^O Quietes in terminis contrariis sunt etiam contrariæ inter se; v. g. quies in sanitate et quies in ægritudine.

Alienum enim est a ratione, quod motus ad terminos contrarios sint contrarii, quietes autem in iisdem terminis contrariæ non sint.

Ad extremum circa motuum contrarietatem illud solet etiam in controversiam vocari, utrum idem mobile simul moveri contrariis motibus queat. Et si sermo sit de motu locali, responsio negativa communis est, loquendo de motu per se. Ratio, quia nihil potest accedere ad certum terminum, et simul ab eo recedere. Atqui id eveniret, si quid motibus contrariis secundum locum moveretur. Ergo... Accedit quod secus idem mobile esset in duplici loco adæquato. Dixi rem ita esse loquendo de motu per se; nam nihil vetat, quominus dum mobile per se movetur uno motu, per accidens moveatur contrario. Sic dum ambulas retrorsum, potes

Motui ex uno termino in contrarium opponitur quies in primo

Quietes in terminis contrariis sunt quoque inter se contrariæ.

Utrum idem mobile possit contrariis moveri motibus